



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE IN ANTIQUO PAROECIALE AC PRAEPOSITURALE TEMPLUM NATIVITATI**

**SANCTI IOANNIS BAPTISTAE DICATUM, QUOD IN OPPIDO «MELEGNANO»**

**INTRA FINES MEDIOLANENSIS ARCHIDIOECESIS EXSTAT,**

**AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – In antiquo et florenti

oppido «Melegnano» intra archidioecesis Mediolanensis fines posito, probe novimus eminere paroeciale ac praepositurale templum Nativitati Sancti Ioannis Baptistae dicatum, quod expolito structurae genere «Gothico» mirisque simul artis praestans operibus, peculiaris est cedes Christianae vitae ac socialis navitatis in bonum praesertim senum, egenorum, inhabilium et migrantium exterarum gentium. Qua re, cum Venerabilis Frater Noster Carolus Maria S.R.E. Cardinalis Martini, Archiepiscopus Metropolita Mediolanensis, litteris die XIII superioris mensis Aprilis datis, etiam cleri populique sui nomine petiverit ut eandem ecclesiam titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestarem, Nos, paternae benevolentiae signum dilectis filiis eius catholicae communitatis cupientes praebere, tam sollertis ac venerabilis Pastoris precibus per quam libenter obsecundandum esse putamus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, summa Apostolica usi potentate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum templum, de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus quidem iuribus et liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX (Prot. CD 500/89) editum, servanda sunt. Minime vero dubitamus quin concessus honor in spirituale profectum cedat fidelium illius oppidi pariterque fore confidimus ut iidem ad arctam coniunctionem cum hac Apostolica Sede magis magisque incitentur. Denique volumus ut hae Litterae Nostrae sint ratae nunc et in posterum, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Maii anno MCMXCII,*

*Pontificatus Nostri quarto decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

---